

HEINRICVS PRAESVL ARGENTINENSIS.



Heinricus ex illustri comitum à Veringen familia natus fuit. Hunc ob præclaras animi & corporis dotes canonici Argentinenses suum episcopum elegerunt anno 1202. Eam dignitatem ad eptus nihilominus optimis literis inuigilauit, atque nullo uicario constituto, ipse omnia munia episcopalia absoluit. Hinc factum ut centum quatuordecim sacerdotes, trecentos octuaginta sex diaconos & inferioris ordinis, uno die solenniter inaugura-rit. Hos ipsem et examinauit, atque suo exemplo ad pietatem & doctrinam adhortatus est. Ut autem literæ commodius in sua diocesi doceretur, ipsos Dominicanos in urbē suscepit, atque eis habitatio-

nem concessit. Cum autem multi hæretici eo tempore uerbo Dei contraria docerent, ipsos erroris cōuicit, atque officij admonuit. Verū cum pertinaces essent octuaginta uno die cōburi iussit. Deinde etiam ad externam politiam conuersus, Dagspergensem arcem ruinas minitantem restaurauit. Cum hoc modo per 21 annos magna gloria præfuisset, moritur & 11 Martij an. 1223 in cathedrali templo sepelitur. Anon.